Bibliothèque numérique

medic@

Magnien, Jean - candidat / Baudouyn, Christophe - président. - An temperamenta signis deprehendi possint ?

1546.
Paris
Cote : ms 72 n°7

PARIS biusanté

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x01x0007

Quodlibetaria Quæstio agitanda In Scholis Medicorum die 8a Januarii.

M. Christophoro Balduino Moderatore.

An temperamenta signis deprehendi possint?

Elementorum qualitates pro ratione admiscentur omnino, earumdemque substantiæ adsunt quidem, sed totæ totis non confusæ, ex huiusmodi mixtione temperamentorum octo genera nascuntur, nonum vero (quod medium vocari solet) in homine usque reperiri, non in certo quidem climate quod omnium est temperatissimum, et ut reperiatur nullo sed certo sensu percipi dicitur, quatenus partes functionibus suis pondere/ mixtionem nactæ sunt temperatæ dicuntur: aliæ intemperatæ, quarum intemperies morbosa est, si manifesto lædat functiones, denique æqualis sive inæqualis est, hæc contrariis quidem duabus, illa nullo actu corrigi potest.

Sicut igitur partes omnes functionibus discriminantur, ita temperamento distingui necesse est, cor calidissimum, hepar (vitæ principia) caliditate, siccitateque; cordi cedit, cerebrum neutram qualitatem agnoscit, quas ut partes sunt principes, ita non observas sui temperamenti notas adhibere, neque partes tantum, sed humores quoque temperaturis variam, quas cum quatuor anni temporibus, vitæ partibus, ætatibus, elementis, temperamento consentire non minus verum, quam vulgatum est.

Temperatum hominem ostendunt mores mediocres, habitus corporis modicus, color floridus albo rubroque commixtus, quantitas corporis moderata, partium corporis omnium exacta proportio, cum pulchritudo coniuncta est, actionum triplicium integritas, difficilis ab externis causis offensio, excrementa modice alvus mediocria, pili mediocriter crispi, ætate prima subrufi, succedentibus ad nigredinem usque vergentes, vix calvescentes, hoc autem totius corporis temperamentum, ex debitis partium præcipue principum temperaturis consurgit, quas si recedant ab optato temperamenti statu corpus immoderatum variant.

Cor itaque, suam temperiem in universum corpus maxime partium omnium diffundens, si calidius est habitum calidiorem reddit, latior vena thorax, pectus hirsutum magis, in actionibus promptitudo, audacia, ira, pulsus, respiratioque maior: si siccius est suam quoque siccitatem in habitum corporis confert, pulsus duri durus, ira tarda, sed fera, et si quæ alia ex siccitate sequuntur: si siccius et calidius est pectus et hypocondria maxime hirta, et hæ coniunctæ sunt qualitatum exuperantiæ, ita coniunctas habebunt notas, si contrariis excedat qualitatibus contraria expectanda sunt omnia, hepar cerebrumque; dicta intemperie cordis intemperiem quandoque retinent.

Hepar frigidius sequuntur angustæ venæ, sanguis frigidior ac pituitosior, venter ac hypocondria glabra, totus habitus frigidior, pallidior, adiposior; si humidius est venæ sunt molliores, sanguis copiosior ac humidior; si calidius si siccius contraria sequuntur omnia. Cerebrum calidius addit ingenio, sensibus, motibusque celeritatem, somno, excrementisque detrahit, capillos ab initio tingit magis ac crispat, calvitiem accelerat, venas, calorem, ruborem promit in facie præcipue; si siccius est affrictu sensu facit difficilem, memoriam fidelem, sensuum perspicacitatem, vigilias, motuumque promptitudinem, partium capitis gracilitatem, excrementa pauca, crispum capillitium, ortum calvitium; in temperamentis contrariis canities ponit, et calvitium cetera; contraria deprehenduntur. Temperati cerebri caput quantitatis moderatum est. Chiromantia in signis temperamentorum medico non negligenda, in reliquis vana est. Astrologia in his ac aliis permultis utilissima: Geomantia in his et reliquis omnibus futilis est, et sorti quam arti similior.

Itaque temperamenta signis deprehendi possunt.

Asserebat Lutetiæ M. Joannes Magnienus Barroducensis A. S. 1. M.D.XL.VI.

F.M.P.

An temperamenta signis deprehendi possint ? - page 1 sur 1